



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Sub qua poena teneantur Beneficiati choro assistere. Punct. 6

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)

1 **S**eruandum esse ordinem, & tempus ab Ecclesia præscriptum in recitatione publica horarum constat manifestè, tum ex consuetudine, tum ex rubricis Breviarii, tum ex decreto Pij V. mandantis horas recitare iuxta formam ibidem præscriptam ad quam non solum substantia, sed modus, & tempus pertinet. Quocirca tenetur primò Maritimum, & Laudes, deinde Primam, postea Tertiam, & sic de reliquis suo tempore recitare. At si hunc ordinem horarum inuentas, vel notabiliter eum anteponas, vel postonas absque graui, & publica causa, crederem in recitatione publica esse mortale. Quia tollis vniuersitatem, quæ Ecclesiæ decorem specialem tribuit, & occasionem praebes grauem offensionem, & scandalum generandi. Sic Suarez lib. 4. cap. 11. num. 7. Fillucius tract. 23. cap. 6. quæst. 2. Carol. Macig. de horis can. cap. 45. ad fin. num. 5. quamuis rigorosum videatur Bonacina disput. 1. q. 3. p. 4. num. 5.

2 Quoad locum atinet, certum est debere esse Ecclesiam ex cap. fin. 2. d. cap. 1. & Clement. 1. de celebrat. Missarum. & aliis textibus. Neque in alio loco nisi necessitas grauis, aut consuetudo legitimè præscripta suadeat, satisfacere huic obligationi potest. Bonacina sess. p. 5. à num. 1.

3 De obligatione ferendi vestes, quas alij Canonici in choro ferre solent, & de sedendo in proprio stallo, vt distributiones lucrentur, nihil est à iure præscriptum. Quocirca si cum alijs alio stater, & horas publicè recitates, etiã si habitum illum choro deputatum non deferres, neque in proprio stallo sederes distributiones acquireret ex vi iuris communis: quia præstata conditionem ad lucrandas distributiones à iure præscriptam, quæ sola est publica in Ecclesia recitatio. Sic Bonacina disput. 2. quæst. 4. p. 1. sine.

At si ex consuetudine, vel statuto Ecclesiæ eorum sit, ne aliquis distributiones lucretur, nisi taliter indutus chorum ingrediatur, & in proprio stallo resideat, sine dubio illas non lucretur, sed tanquam absens à choro est reputandus, qui his caret conditionibus. Quia hæc consuetudo, vel statutum rationale est, & approbatur à Tridentino sess. 24. cap. 11. de Reformatione in fin. Sic Bonacina supra Garzia plures referens 3. cap. 2. num. 357.

PUNCTUM VI.

Sub qua pœna teneantur choro assistere.

- 1 Deciso Bonifacij VII I.
- 2 Proponitur dubium. An ante iudicis sententiam distributionibus priuetur.
- 3 Resoluitur priuari.
- 4 Vtrà supradictam priuationem alij panis puniri possunt.
- 5 Explicatur quid nomine distributionum, & fructuum intelligatur.

1 **R**espondet Bonifacius VIII. in cap. unico de cler. non resident. in 6. sub priuatione distributionum obligatos esse. Quia distributiones donantur solum choro interessentibus seu presentibus, vt constat ex supradict. text. & Trid. sess. 24. 12. de Reformatione. Qui igitur illegitimè abest illas non lucretur. Ergo illis manet priuatus.

2 Solum est difficultas, an his distributionibus priuetur illegitimè absens ante iudicis sententiam. Et ratio difficultatis est. Quia nullam penam etiam priuationem, quæ propria pœna est à censura distincta, tenetur delinquens subire, neque habet effectum quousque sententia, saltem declaratoria criminis accedat, vt ex probabili sententia diximus tractat. de legibus. Sed harum distributionum priuatio est pœna, & non censura. Ergo probabile est absentem non esse obligatum illam subire, quousque sententia declaratoria criminis accedat.

3 Ceterum omnino tenendum est ante omnem iudicis sententiam sic absentem manere priuatum distributionibus, quas si diuini interesset obrinere potuisset. Sic supponunt omnes, & tradit expressè Moneta 3. p. quæst. 7. Bonacina disp. 2. de hor. can. q. 7. punct. 2. num. 2. Ratio est manifesta. Quia nullus retinere potest rem, cuius dominium acquirere non potest, neque suam facere: Sed absens illegitimè à choro, distributionum dominium acquirere non potest, neque suas facere. Vt expressè à Bonifacio VIII. in dicto cap. unico est definitum. Qui aliter (inquit) de distributionibus ipsis receperint, quam interessendo diuini officia in eis Ecclesiis, earum se receptarum dominium non acquirant, nec faciant eas suas, imò ad omnium restitutionem, quæ contra huiusmodi constitutionem receperint reuertantur. Idem confirmauit Trident. sess. 24. cap. 12. de Reformat. Ergo de facto absens ante omnem sententiam manet distributionibus priuatus: priuatione inquam, quæ propriè pœna non est. Quia non priuatur beneficiatus iure aliquo quæsitò contra eius voluntatem, sed potius ipsemet se priuat non residendo distributionibus, quas residendo obrinere potuisset. Sicut si alicui esset certa quantitas à testatore legata, si in tali vel tali loco residere: si ipse conditionem non præstaret ob eius onus, legato priuatus esset: & tamen non diceretur legati priuatio illi esse pœna, quia nunquam ad legatum ius habuit, nisi posita conditione. Sic dicen-

dum in distributionibus, ad quas beneficiatus ius non habet, nisi posita diuini officii interessentia. Et ex his soluitur ratio dubiandi.

4 Præter supradictam priuationem distributionum, si beneficiati vitra tempus à Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. de Reformat. permittum abfuerint: pro primo anno, & prima vice priuandi sunt dimidia parte fructuum, quos residendo, & interessendo diuini fuerint lucreti. Quod si iterum ea fuerint vti negligentia, priuandi sunt omnibus fructibus: cretente verò contumacia non solum fructibus, sed beneficio fuit spolandi. Sic Concilium. Hæc igitur priuatio est propria pœna, & non ipso iure lata, sed imponenda per iudicem, vt constat ex verbis textus, & notauit Rota in caus. Cautiens. fructuum coram D. Orano 10. Aprilis 1592. Garzia de benef. 3. p. cap. 2. n. 152.

Qualiter autem in hac priuatione debeat iudex procedere ex variis decisionibus Rotæ tradit Garzia supra n. 154. & seqq.

5 Sed inquiris. Quid nomine distributionum, & fructuum, quibus beneficiatus, ob absentiam à choro priuatur, veniat intelligendum?

Breuitè respondeo sub nomine distributionum venire intelligendos illos proventus, quos beneficiatus acquirat ob contumaciam chori interessentiam, Garzia plures referens 3. p. cap. 2. num. 440. Riccius præxi de eis 495. Tufchus tom. 2. lit. d. concl. 511. Moneta 1. p. q. 1. num. 12. Bonacina disp. 2. de hor. can. q. 2. p. 1. in principio, & alij. Sub fructuum nomine comprehendendos annuos redditus beneficiati ob beneficii titulum concessos: & licet ad illorum acquisitionem aliqua assentientia requiratur, non habetur ad illam respectus. Sic Garzia supra. Moneta quæst. 6. Bonacina n. 4. Tufch. num. 8. Gonz. ex ad 8. Regul. Cancell. pr. cam. 8. 7. num. 154. Ex quo fit distributiones quotidianas à fructibus beneficiati distingui, vt manifestè constat ex Trident. sess. 24. cap. 12. de Reformatione.

PUNCTUM VII.

An Canonici à choro absentes teneantur soluere Annatam, Quindennium, Charitativum subsidium, decimam & pensionem, quæ debebant soluere si choro interfuissent & distributiones lucretantur.

- 1 Quid sit Annata, Quindennium, & reliqua supradicta.
- 2 Annata & Quindennium non soluitur ex distributionibus quotidianis.
- 3 Item nec pensio. Possunt tamen ex voluntate Pontifici aliquando eis imponi.
- 4 Si impedita censetur quando Pontifex conscientiam non habere alios redditus adhuc illud grauat.
- 5 Decima ex fructibus beneficii regulariter non soluitur. Quando id censetur.
- 6 Si Annata, vel Quindennium super distributiones fundatum sit, debet beneficiatus soluere, etiam si integro anno à choro abfuerit.
- 7 Charitativum subsidium, Decima, & Pensio debentur, si culpabiliter à choro abfuerint si inculpabiliter.
- 8 Apponitur limitatio, sed non approbatur.
- 9 Satisfit rationibus n. 7. additiis.
- 10 Capitulum recipiens distributiones suas præbendam, quantum recipere, si adesses, pensionem soluere non tenetur probatur.
- 11 Probabilius est obligatum esse.
- 12 Ante diuisionem fructuum & applicationem singulis est obligatum Capitulum soluere pensionem, si in se velit illam partem fructuum retinere.
- 13 Si interessentibus diuidat, omnes illi obligati sunt hypothecaria actione pensionem soluere.

1 **P**ræmittendum est primò quid sit Annata, Quindennium, Charitativum subsidium, Decima & Pensio. Annata est dimidia pars fructuum vnius anni, quæ Camera Apostolica soluitur à beneficiatis obrinentibus à Sede Apostolica beneficiis, & ducatos cameraticos excedentia, quam partem fructuum debent soluere beneficiati, eo ipso, quo beneficia impetrant independentè à reali fructuum perceptione Quia sub eo onere, & obligatione soluendi illam partem fructuum in sustentationem ministrorum Pontificis, ab ipso Pontifice beneficia conferuntur. Sic colligitur ex Azor. 2. p. lib. 7. cap. 12. quæst. 1. Gigante de Pensionibus quæst. 26. num. 2. Bonacina disp. 2. de hor. can. quæst. 6. punct. 1. in principio. Gonz. ad 8. reg. Cancellaria 8. 7. num. 167. Flamin. Paris. de Resignation. lib. 12. q. 2. n. 63.

Quindennium loco annatæ succedit, eiusque naturam imitatur: Etque dimidia non integra pars fructuum vnius anni beneficij à Sede Apostolica vni alicui communitatis, Collegio, vel capitulo, quod Collegium, vel communitas soluit Camera Apostolica decimo quinto anno illam partem fructuum, quæ si tunc beneficium illud vacaret, & demò inciperet possideri, ne Camera Apostolica ex perpetua vnione beneficii de hæreditate